



1. Anton f. Pauli, *f. Veritas Christianae Religionis*, Halle, 1718.
2. ————— *diff. de Ignigni Harmonia Fidei que iustificat et fidei quatenus justificare dicitur*, Halle, 1723
3. Barth f. ioh. Henr. f. *diff. de docta in theologia Ignorantia, Argentorati*, 1717.
4. Baumgarther f. Sigism. jac. f. *diff. de Limitibus in concilii ande Rationi Doctrina revelata observandis*, Halle 1751.

14

DE
**METHODO
DEMONSTRANDI
MATHEMATICA,**
AD RES THEOLOGICAS NON APPLICANDA

DISSERTATIO POSTERIOR,

QVAM,
DIVINIS AVSPICIIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIP^E REGIO ATQVE ELECTORAT.
SAXON. HEREDE, ETC. ETC.

DN. FRIDERICO AVGUSTO,
INDVLTV AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI

PRAESIDE

**M. FRIDERICO IACOBO
FIRNHABERO,**
VVERTHEMIO-FRANCO,

DIE XI. DECEMBR. MDCCXV,

PUBLICE DEFENDET

RESPONDENS

GEORG CHRISTOPH. SEYBOLD,
OERINGA-FRANCVS, TH. ET PHIL. STVD.

VVITEMBERGAE, LITERIS SAMVELIS KREVSIGIL.

ОДНОИМ
ДЕЯНИЯ

АПОСТОЛА ПАУЛА
КО СВОИМ БРАТЯМ

СТАТЬЕЙ ОБ АПОСТОЛЕ ПАУЛЕ

СТАТЬЕЙ ОБ АПОСТОЛЕ ПАУЛЕ

СТАТЬЕЙ ОБ АПОСТОЛЕ ПАУЛЕ

ОДНОИМ
ДЕЯНИЯ

СТАТЬЕЙ ОБ АПОСТОЛЕ ПАУЛЕ

DE
METHODO DEMONSTRANDI
 MATHEMATICA,
AD RES THEOLOGICAS NON APPLICANDA
 IN SPECIE

DISSERTATIO POSTERIOR

APHORISMVS. I.

Cum in priori disputatione euictum fuerit, differre seriem seu dispositionem Mathematicam, ab ipsa methodo demonstrandi Mathematica, facile quidem largimur, probationes rerum sacrarum ordine et more Mathematicorum institui posse, licet istum, rebus sacris neque accommodatum, neque tam proficuum uideamus quam nonnulli sibi persuadent, ut adeo iis qui eodem uti uoluerint, summa cura atque circumspectione opus sit, ne sacris literis quid aduersum committant.

Explicatio.

Ari in rebus sacris demonstrationes, exemplo ipsis Christi, et Apostolorum, passim sacro in codice unum ex altero colligentium satis manifestum est. Ita enim DEVS ea quae nobis reuelare constituit, ordinavit, ut alia tam clare proposita deprehenderemus, ut citra ullam deductionem, uel ob solam assertionem diuinam accipi possint: Quaedam uero, nonnisi per diuinay, et iustum demum consequiam intelligi debeant. Quod inde factum esse autumo, quia uoluntas diuina directa est ad creaturas intellectu aequae ac fensi-

sensibus praeditas, qui adeo praeter facultatem audiendi et legendi, pollerent etiam uisquadam unum ex altero colligendi; Habere itaque debebamus, quibus et diuina bonitas praedicaretur, sapientiaque adoraretur, et humana industria exerceretur.

§. II. Quapropter omnino laudabile, et uoluntati diuinae conforme, imo etiam necessarium est, eorum studium, qui circa diuina ita uersantur, ut ista ex Scripturis ceu fonte rerum sacrarum uberrimo studiose eruant, erutas firmis et probatis rationibus stabiliant, unumque ex altero solide deducant et inter se conferant. Sic enim ueritates sacras mirifice comprobari, insultus hostium egregie repelliri, et conscientias utiliter confirmari posse, palam est. Conf. inter alios, qui de analogia fidei scripsierunt, quam a quorundam obiectionibus, in peculiari disputatione vindicauit *S. R. D. D. Wernsdorfius Patronus ac Praec. meus aeternum uenerandus.*

§. III. Sicut uero parum interest, quo ordine demum, quae dispositione, demonstrationes sacras adornare uolueris dummodo necessarium nexus extremorum firmiter et sufficienter ostendant; Ita eas, si libuerit, Mathematicorum quoque more institui posse, nulli dubitamus. Occurrunt enim in rebus diuinioribus aequae ac in aliis, quae per demonstrationem probantur, subiecta cum suis proprietatibus affectionibusque, definitiones cum suis definitis, causae cum suis effectis, principia cum suis principiatis, quae in ipsa demonstratione facile ita disponi poterant, ut more Mathematico primo ponantur definitiones facrorum, his iungantur diuisiones, ex quibus dein struantur quaedam principia, quae sunt instar axiomatum, et theorematum; ceu huius rei, in doctrina de S. Coena recentissime specimen aliquod dedit *Io. Conrad. Schwarzius Prof. Gymnasi Coburgensis Clarissimus, in Miscell. Theol.*

§. IV. Ex cuius exemplo tamen simul appareat, tum demum recte ac salutariter hunc ordinem in demonstrandis rebus sanctioribus adhiberi, quando omnes conceptus nostros, scripturis unice conformamus, ut nihil quicquam aliter definiamus

finiamus, quam istud scriptura proponit, nec quicquam prudignitate aut principio agnoscamus, nisi quod in scripturis clarissime contineatur, nihil denique affirmemus, uel negemus, nisi quod menti Spiritus S. uel conueniat uel adueretur. Quae quidem omnia eo sollicitius obseruanda sunt, quo periculosior alias iste modus euaderet. Solent enim qui ordine isto utuntur, ex una saepe propositione, innumerarū alias deducere. Hinc si in uno a mente Spiritus S. aberraue-
ris in infinitos ut delabarūs errores periculum est.

§. V. Quod ipsum causae est, ut ordinem istum rebus sacris nec usque adeo proficuum esse arbitrer. Admodum enim proclius est mens humana in errores, praesertim in diuinis, quippe a quibus natura sua abhorret. Quare tutissimum erit, si in his quam simplicissime uersemur, in primis, cum et ordo mathematicus (1.) sacrī parum accommodatus uideatur, quod tamen de necessitate bona methodi est. Supra enim obseruauimus, requiri ad eandem distinctas et adaequatas obiectorum ideas, easque *reales* et *geneticas*. At de rebus sacrī claros quidem conceptus beneficio luminis scripturae nobis formare possumus, neutiquam uero tam euidentes et ad aequatos, sicut Mathematicus de rebus mathematicis fouet. Vnde nec menti et sensibus euidenter, unum ex altero deduci probarique poterit, sicut in Mathematicis. Accedit (3.) quod in sacrī ut sacrī, cum prorsus inevidētia sint secundum euidentiam rationis, omnis uis probandi tandem recurrat in genuinum sacrarū literarū sensum, hunc uero ordine geometri-
co uel confirmare uel vindicare si contendas, prolixis nimis ambagibus utendum esset. Id quod (4.) de Me-
thodo ista generatim obseruamus, scilicet eam uix ac ne uix quidem, sine taediosa prolixitate adhiberi posse. Nam ut in sequentibus nihil dicatur, quod ex anterioribus non probetur, ubi paulo maior rerum consideranda est copia, ingenti circuitu, ut principia necessaria colligantur, utendum neces-
sario est, sicut bene monet Clericus in Logica p. 178. Cum quo

quo (5.) et illud adiicimus, ordinem istum, hac ratione iis, qui ei non adsuevere, tantum duriorem difficilioremque euasurum esse. Quid ergo opus est, ut huic praecise methodo in demonstrandis sacris insistamus, cum alii, aliis modis eadem hactenus haud infeliciter probauerint? Neque uis demonstrationis, in dispositionem certam definitionum et principiorum, sed in ostensionem nexus utrorumque extremorum reddit.

APHORISMVS II.

Quia ipsam demonstrationem uero uel methodum demonstrandi Mathematicam nobis uidetur, eadem res sacras ut sacras nullo modo indigere. Nituntur enim propriis suis concludendi rationibus, longe firmioribus certioribusque, quam ex Mathematicis unquam expectari poterant.

Explicatio.

§. I. Istud quod in demonstrationibus Mathematicis tanti aestimamus, est summa euidentia humana, quae fundatur in clarissima perceptione sensuum et rationis, sicut in Disputationis prioris Aphorismo II. pluribus ostendimus.

§. II. Sufficit ista euidentia ad denominationem Demonstrationis Mathematicae, quamuis ei specialior adhuc accedat denominandi ratio, quando ex ipsis etiam rationibus et argumentis Mathematicis progreditur.

§. III. Res sacras uero ut sacras appello, quae non tantum ratione obiecti, sed et principiis sui sacrae sunt, seu quae tantum, prouti reuelatae sunt, considerantur. Non enim res sacrae omnes, unius eiusdemque indolis sunt, sed ita differunt, ut quaedam nonnisi ex reuelatione hauriri possint, adeoque ob eam solam accipienda sint. Quo specant in uniuersum omnia mysteria sanctissimae fidei nostrae, quae propterea in oppositione ad alias, purae et ualidiores.

έξοχην sacrae audiunt: Quaedam uero ex scripturis ita cognoscuntur, ut et aliunde, idque uel ex ratione uel ex experientia, licet non tam plene ac perfecte, intelligi possint. Ad quae referendæ sunt doctrinæ de DEI existentia, essentia, aliisque quae Theologia Naturalis pertractat, ut et res historicae, chro-nologicae, geographicae, et genealogicae. Quemadmodum huic rerum sacrarum classi, etiam suo modo accensere poteras, ueritates de sanctitate, ueracitate, et diuinitate scripturae, seu principii demonstrationum sacrarum. Nam et has, beneficio luminis naturae satis probaliter euinci posse, ex instituto ostenderunt Grotius, Mornaeus, Pascalius, Halius, Stillingfleetius, Limborchius, Abbadie, aliqui scriptores ueritatis religionis Christianæ, cum grano salis tamen legendi. Et haec omnes in relatione ad res sacras pure sic dictas, uocantur mixtae, quia et beneficio *luminis naturae* et *reuelationis* intelligi possunt, ac proinde ueritatibus sacris, ut sacris in tantum adscribendas sunt, in quantum ex scripturis percipiuntur.

S. IV. Hoc sensu de iis aequæ ac puris praedicamus, eas, ut confirmetur, non opus habere demonstrationibus mathematicis. Nituntur enim propria sua, eaque satis firma et sufficienti concludendi ratione, quæ in distinctione ad alias, optimo iure eminentior quaedam appellari poterat. Haec ultimato se resolut in authoritatem, DEI dicentis infallibilem, et tum *demum* aliquid uerum, uel falsum esse praedicat, quando firmiter demonstratum est, DEV M illud ita reuelasse. Sic DEV M esse trinum, Christum esse DEV M et hominem, mundum sex diebus factum esse, quam firmissime exinde demonstro, quia DEV S dixit, tres esse in coelo testes, λόγον esse carnem factum, Creatorem omnia sex dierum spatio produxit. Nam authoritas DEI dicentis, non minus certam ueritatis praebet rationem, imo maiorem, quam alia quæque certissima et clarissima. Neque necessarium est, ut omnis demonstratio praecise uel

uel ex causis, uel ex effectibus procedat; cum quid obstet, quo minus et ex alia quavis euidenti, certa, et necessaria ratione suscipi possit, non uideam, etiamsi ea tantum sit testimonii, siue autoritatis, sicut ostendit Georg. Paul Rötenbeccius in Logica. Hinc olim iam Clemens Alexandrinus, demonstrationes sacras omnium certissimas esse afferebat. *Quæstionem* inquit, L. VII. Stromatum, *confirmamus diuina uoce, quae omnium demonstrationum certissima, imo potius sola existit demonstratio.* Neque certitudo haec demonstrationum sacramrum ullo modo infringitur, si obieceris, dubium esse, an illud uerbum, ex quo demonstrationes instituuntur, reuera sit uox diuina. Ipse enim codex sacer quaedam criteria insinuat, per quae, ueluti sol per radios, de se ipsa suaque diuina origine, sicut per naturam principiorum requiritur, satis abunde testatur. Quod testimonium mirifice porro confirmatur, dum Spiritus S. per illa ipsa criteria, uirtute sua persuasiua, quam illis, aequa ac uniuerso DEI uerbo coniunctam esse Theologi demonstrant, ita in hominum animos influit, ut tandem plenario de eius diuinitate conuincantur.

S. V. Quo pacto, hanc rationem demonstrandi tam certam esse appareat, ut ad eandem Mathematicarum etiam rigorosissimae uix ac ne uix quidem accendant. Quid enim firmius, quid certius esse poterat, quam quod nititur *authoritate ipsius DEI infallibili?* Haec profecto uia, sola fere et unica est, quae suos uiatores, ad summam quae ex optari poterat, *αὐτοφάλειαν* perducit; quam certe in Mathematicis tanto gradu nobis promittere non possumus. Quamquam enim euidenti perceptioni rationis et sensuum locum suum laudemque relinquamus, eam tamen ab omni errandi periculo immunem non esse, experientia saepius testatur; neque ulli quam DEO soli infallibilitas conuenit. Ut adeo mirer, nonnullos methodum demonstrationibus sacris propriam, eamque tam insignem negligere, ueritatesque diuinias

nas mathematica demum methodo , aliquando etiam rationibus et argumentis mathematicis confirmare uoluisse. Quaecunque enim propriis suis insistunt principiis, iisque solidissimis, imo prorsus infallibilibus , perperam ex ignobilioribus et fallibilibus deducuntur. Imo inconsultum esse uidetur , propriis relictis laribus, ad alienos aufugere. An uero, quod forte quidam sibi imaginantur, Methodus demonstrandi Mathematica, ueritati et certitudini rerum sacrarum augmentum aliquod addet ? Certe quaecunque diuino et infallibili euicta sunt modo , maiorem certitudinis gradum prorsus respuunt. Ne dicam ipsum Christum et Apostolos , aut saltē Patres puriores methodum istam iam dudum ad res sacras applicasse , si eandem necessariam iudicassent, uti optime monet, Summe Reuerend. Dn. D. Klausing. Patronus ac Praeceptor meus omni honoris et reuerentiae cultu suscipiendus in disputat. de Mathesi sacra.

APHORISMVS. III.

Quamquam igitur res sacrae methodo demonstrandi mathematica facile carere poterant, non tamen diffitendum est, eam aliquando, si rite usurpetur, res theologicas mixtas non parum illustrare, aliquando etiam confirmare, licet ex abundanti tantum et secundario: Ut enim primario eadem, dogmata Theologica confirmantur, periculosisimum erit, idque in primis, si ad ipsissima fidei mysteria corroboranda applicetur.

Explicatio.

§. I. Magnum esse Mathematum in sacris usum, inter alios ostenderunt, omnes fere qui Introductiones ad studium theologicum scripserunt, quibus adiungantur Excellent. Dn. Georg. Alb. Hambergerus in *dissertat. pecul.*

de Matheos usu in Theologia. Summe Reuer. Dn. D. Klausius in dissertat. de Matheo. sara, et Excellentiss. Dn. Weidlerus in Vindiciis Mathematum, quibus Agrippam, aduersam sententiam tenentem, pluribus eleganter refutauit. Nos cum illis ad praesens institutum obseruamus, praeter fructus istos, quos ex Astronomicis, Architectonicis, Chronologicis etc. Mathesis ad sacra transfert, etiam hunc accedere, ut ipsa methodo demonstrandi Mathematica, diuina dogmata non infeliciter illustrentur, confirmeturque. Quod tamen sicut modo indicauimus, de iis tantum intelligimus, quae mixti sunt generis. In rebus enim pure Theologicis, ne id quidem locum habere, mox ostendemus. Mixtae uero, cum non tam ex reuelatione, quam ratione cognoscantur, ex utraque etiam commode probari poterant, et si quando theologicae considerationi subiiciuntur, theologice etiam probari debebant. Interim, sicut uerum uero nunquam aduersatur, neque alias repugnat, unam eandemque ueritatem, et testimonii scripturae probari, et dictis Patrum et Theologorum illustrari posse; Ita nec uideo, quid impediat, quo minus aliquando ueritates istae, Mathematicorum methodo proponantur. Hoc ipso enim eleganter ostenditur, unam eandemque ueritatem, et ex theologicis rationibus credi debere, et ex Mathematicis demonstrationibus sciri posse, cum insigni ueritatibus illustratione, imo et confirmatione. Quam tamen B. Calouius in Paed. Theol. p. 96. recte inter secundarias retulit. Accedit enim tantum ex accidenti et abundanti ueluti, cum ad accendentiam ipsam fidem, disciplinae philosophicae non requirantur. Habet uero methodus demonstrandi Mathematica, in sacris etiam alium adhuc usum, qui se exerit in detegendis fraudibus Aduersariorum. Experientia enim quotidie fere edocemur, a plerisque methodum istam ad decipiendos imperitos sacris applicari. Quo casu, saluti multorum prospicimus si aduersariorum insidias aperire, iisdemque quibus nos circumuenire

nire cogitabant mediis, depellere ualeamus, sicut id in Spinoza non adeo male praefitere Blyenbergius et Poiretus.

§. II. Sicut uero alias ea rebus utilibus et innocuis fata communia sunt, ut , dum nimis uehuntur , plus noceant, quam proficiant ; ita idem Mathematicis demonstrationibus obtingit, quando istis, tanquam argumentis primariis, dogma-ta sacra in uniuersum , ne sanctissimis quidem fidei myste-riis exceptis , confirmare conamur. Nam cum Mathematicae demonstrationes unice nitantur evidentia rationis et sensuum, hoc pacto (1.) turpissima confusio principiorum introduce-retur, ut argumentis rationis probentur , quae fundamentis scripturae insistere debebant, Quin (2.) Mathesis et ratio non reuelationi , sed reuelatio rationi subiiceretur, et haec ut serua , illa uero ut domina respiceretur. Inde (3.) fides nostra , quae superstructa esse debebat , clarissimis scriptu-rae assertionibus , non illis , sed Mathematicis demonstra-tionibus inniteretur; adeoque (4.) res grauissimae , quae sub periculo salutis nobis commissae sunt , inaedificarentur fun-damento salebroso, infirmo , et a quo quis tentationum uen-to facile destruendo. Imo (5.) ipsa fidei mysteria, non ad di-uini uerbi sensum , sed ad rationis nostrae mathematizantis figmenta conciperentur. Quibuscunque enim mens nostra continuo adsuicit, ad ea plerumque conceptus suos formare solet. Et sic de rebus spiritualibus, non spirituales, sed mathe-maticos conceptus foueremus. Ex quo uero (6.) id sequi-tur, quod , dum omnium sapientissime , addo et solidissime de coelestibus rebus loqui uelimus , eas tam misere detor-queamus, et inter se confundamus, ut praeterquam quod sapientiorum ludibrio turpiter nos exponamus , manibus pe-dibusque quod aiunt , in Scepticismum Indifferentismum , imo et Fanaticismum et Atheismum prolabamur. Quod qui-dem (7.) eo facilius euenire solet , quo plus intellectus no-ster obtenebratus a spiritualibus abhorret , et quo pericu-lo-sius est rationis inuenta anteferre reuelationi diuinae.

§. III. Nec deficient exempla , quae haec omnia latius comprobare poterant , si modo huic opellae definiti limites permitterent, ut de illis paulo plenius ageremus. Sufficiat itaque ista tantum tetigisse. *Quantum aestimauerit, Renatus Cartesius*, claram et distinctam rerum perceptionem, neminem latere poterat. Nihil enim pro uero agnouit , nisi quod clare et distincte cognosceret. Quapropter, cum eam claritatem cognitionis in Mathematicis inueniret; et ad eam aliis rursus exponendam, aptissimam cerneret Methodum Mathematicam , ita eam adamauit , ut eadem res omnes, etiam sacras, demonstrare inciperet. Quod discipuli tanto cum abusu imitabantur , ut Mathematicam evidentiam , quam sibi ubiuis inuenisse uidebantur , non modo diuinioribus demonstrationibus anteferrent , sed et eam pro infallibili norma et interprete scripturae sacrae declarare non uererentur. Ecquis uero huius instituti usus fuerit, ex uno alteroque Cartesiano disci poterit ? Sint isti *Benedictus Spinoza* et *Petrus Poiretus*. Quorum ille in Tr. Theologico et Theologico-Politico , item in Ethica , aliisque scriptis dogmata sacra mathematice explicare et demonstrare ausus est , eo uero cum fructu euentuque, ut omnia religionis nostrae sanctissimae capita, tanquam phantasmata, tristis et timidi animi deliria, absurdula arcana, et praeiudicia, nefario et scelerato ausu palam traduceret ; ipsumque Atheismum promoueret. Huic uero , Poireto nimurum , quam alias Mathemata contemtim tractasse constat , simile quid contigit. Is enim pariter sensibilissimam et distinctissimam rerum sacrarum perceptionem affectabat , quem in finem methodum demonstrandi Mathematicam in omnibus fere operibus suis in subsidium uocauit, sicut appareat ex cogitationibus, de DEO et Malo, L. III. c. IV. et ex Oeconomia diuina, nec non in discursu fidei et rationis. Exinde autem factum est, ut ad rationis suae obtenebratae placita , meros ideales conceptus , de rebus sacris sibi effingeret, quorum , cum postea nullum solidum fundamentum.

tum in sacro codice deprehendisset, ad nescio, quod dictamen internum seu lumen immediatum, et partem diuinæ essentiae, cuius existentiam sensibilissimo modo in se percipere iactabat, prouocauit, adeoque in ipsum Fanaticismum prolapsus est. Quae fata et aliis suo modo communia sunt, ut ex nimis affectato studio certitudinis, in diuinis grauissime errent. Prodiit Anno 1710. Francofurti et Lipsiae, *Anonymi cuiusdam, Isidori Charisi Logothetae, Theologia Christiana in numeris*, in qua Author ad imitationem Pythagorae, Petri Bungi, et Athanasii Kircheri, multa mysteria ex numeris erui posse ostendit, ita quidem, ut ex ipsorum additione, multiplicazione, divisione et proportione, summa fidei mysteria probare susciperet; indigno sane, et rebus sacris nullo modo conuenienti instituto. Quis enim non uidet hac ratione omnia, Mysticis tandem figuris et meritis lusibus ingenii inaedificari? Certe si his fundamentis religionem nostram sacratissimam superstruere uelimus, breui tot habebimus religiones, quot sunt capita et ingenia hominum. Sicuti nec ipse Autor in operे citato ab erroribus immunis est, quorum origines ex iisdem principiis deriuamus. Haud obscure enim restitutionem aliquam rerum omnium asserit, ex tribus in diuinitate personis tres qualitates efficit, et DEVm tanquam fontem rerum omnium singit, ex cuius essentia omnia per emanationem aliquam profluant, et in quem omnia redeant, ut taceant alios, cum praesens institutum, ut haec fusius per sequamur non postulet. Iungimus huic potius, *Iohannem Craigium*, Mathematicum et Geometram Angulum alias celebrem. Edidit iste anno 1699. *Principia Mathematica Theologiae Christianae*, quae recensuerunt Authores Act. E. L. ad A. 1699. In his Author per calculos certos demonstrare uult, ueritatem historiae Euangeli. Argumenta sua petit, a numero testium, tempore per quod transmittitur, et distantia locorum, atque calculos addit, quamdiu oralis institutio, durare potuisset, et quamdiu scripta durare debebat. Quibus tamen argumentis ipse Author rigorem Mathematicum

ticum attribuere non audet, sed tantum magnam probabilitatis gradum; fidemque adeo Christianam in mera aliqua probabilitate historiae Euangelii fundat, ob quod merito castigatus est, a Iohanne Eduardo Doctore Theologo Anglo in *Docrinâ Fidei et Iustificationis dilucidata*, licet et ipse quantum nobis ex Actis E. L. perspicere licuit eandem in scyllam inciderit, argumentis externis, quibus alias Veritas et Diuinitas scripturae probari solet, apodicticam concludendi vim assignando, ac ipsam fidem in evidentiam rationis et sensuum aperte resoluendo. Quanquam enim argumenta ista magnum habent probabilitatis gradum; tantum quidem, quantum ab argumentis probabilibus unquam expetere possumus, uix tamen ac ne uix quidem $\alpha\pi\delta\epsilon\zeta\eta\omega$ admittunt. Interim et alii cum Eduardo Anglo, argumentis illis eandem vim tribuunt. Quam aliquando mathematicis quoque demonstrationibus simillimam, imo adhuc fortiorem his depradicant. Quod ut eo magis euincant, Methodo mathematica demonstrationes suas proponunt. Egit id Petrus Daniel Huetius in *Demonstratione Euangelica*, in cuius praefatione expresse scribit se non tantum mathematice, sed mathematicis demonstrationibus adhuc evidentius, veritatem scripturae, et totius religionis Christianae demonstraturum esse. Quod quidem mireris, cum argumentis tantum moralibus utatur, a consensu plurium et traditione historica petitis, quae se non in evidenter rei, sed prudenti iudicio lectoris fundant. Sed reuera, Vir callidissimus nihil aliud intendit, quam ut fidem nostram, de diuina scripturarum origine, resoluat tandem in meram fidem humanam, qui se ultimato fundet in auctoritate Ecclesiae, sicut acute obseruat Summe Reuer. Dn. D. Foertschius Patronus ac Praecept. meus aeternum uenerandus in selectorum Theol. P. II. Cum enim iuxta Huetium consensus plurium, a quo demonstrationes suas desumit, summum fidei sit motivum; Ecclesia autem Pontificia consensum uniuersalem melioris orbis praetendat, facile mens, ubi imbecillitate argumentorum commota de certitudine diuini-

diuinitatis scripturae sollicita est, se uertit ad eum coetum, qui praetensis eiusmodi testimonii superbit. Praeter Huetium huc etiam ex Reformatis pertinebit Eduardus Stillingfleet, qui demonstrationi suae de ueritate Scripturae, quam in Originibus mundi exhibit, tantam adscribit certitudinem, quam unquam in alia re habere possumus. Quo ipso uero, cum eiunice confidat, fundamentum fidei nostrae, meram moralem aliquam certitudinem constituit. Ne tangam alios, qui Mathematicis suis demonstrationibus ueritates sacras tantum corruperunt. Meminit propterea Tenzelius in Colloquiis menstruibus ad An. 1689. Anonymi cuiusdam sub nomine Liberii de Sancto Amore latentis, qui hac methodo doctrinam de unionे duarum naturarum in Christo deprauavit. Recentissime autem hoc, nostro tempore in doctrina de DEO et S. Coena exemplis suis comprobarunt. Io. Raphson Anglus, in dem. de DEO. et Clariss. Leonb. Christoph. Sturmius in Mathematica demonstratione interpretationis suae Verborum institutionis de sacra Coena. Quorum illum ex nostratis refutarunt Dn. D. Foertsch in Nucl. Controvers. et Dn. D. Klausing in dissertat. de DEO Raphsoniano. Huncuero Dn. D. Fabricius, Mushardus, Senftius, Neumannus et quem primo loco nominare debebam. Dn. D. Chladenius Patronus et Praeceptor meus uenerandus, aliique.

APHORISMVS IV.

*Si tandem dicendum quod res est, ne quidem possibile esse uidetur,
ut res theologicae ut theologicae, sive purae sive mixtae sint,
mathematice demonstrantur.*

Explicatio.

§. I. Non dari demonstrationes Mathematicas in rebus theologicis, ut theologicis, probo (1.) quia demonstrationes mathematicae certitudinem tantum humanam pariunt; at theologicae *αισθαντες* diuinam et infallibilem requirunt. (2.) Mathematica demonstratio omnis consistit in summa euidentia rationis et sensuum; ad quam res sacras perducere nequeo. Sunt enim illae nobis ineuidentes, quae ab intellectu humano, licet etiam quam clarissime proponantur, ob immensam suam profunditatem nunquam comprehendendi et exauriri possunt. Quemadmodum enim se habent

bent oculi noctuae ad lucem, ita intellectus humanus ad diuinae mentis cognitionem. Vnde nec (3.) possibile est, ut de rebus spiritualibus tam claros atque distinctos nobis conceptus formemus, ac Mathematicus de rebus mathematicis solet. Nam obiecta theologica tam abstracte concipi nequeunt, quam lineae et figurae mathematicae, quin potius cum subiectis suis, in tota sua latitudine considerari debeant; quam uero intellectus nescit, et quamvis beneficio revelationis aliquid de rebus sacris percipiat, eas tamen non tam clare et distincte cognouit, sicut Mathematicus, ut intimam nimirum eorum naturam et genesis intelligat. Quæ enim ad intelligendas res sacras nobis data est gratia DEI, efficit, ut intellectus humanus idoneus reddatur, ad conceptum quendam distinctum de diuinis sibi formandum, cuius beneficio, sensum diuinum percipere, unumque ab altero distinguerem posset. Ut uero ipsorum Mysteriorum naturam intime perscrutemur, eorum profunditas et intellectus nostri angustia prohibent. Quapropter (4.) nec tam clara et euidentia principia in sacris nobis formare possumus, quam in Mathematicis. Qui enim euidenter componere uel dividere possem, quae ratic mea non intelligit? Qui euidentia principia constituerem possem, ex iis, cum quibus ratio mea nullam prorsus proportionem habet? Sunt enim in theologicis ut theologicis, omnia ratione inevidenterissima. Evidem ea quae DEVS dixit uera esse, mens mea ultro intelligit, sed ea quae in scripturis extant, a DEO proficisci, res est altioris indaginis, quam ut ab ullo Mathematico, acutissimo quoque profundissimo, beneficio rationis indagari possit. Si ergo neque definitiones Mathematicas, neque principia mathematica, tanquam primaria demonstrationis fulcra in theologicis possideo, per se claret, me theologica neque mathematice demonstrare posse. Quae (5.) ulterius confirmantur, quod nullus adhuc extitit, qui res sacras, uere mathematice demonstrauerit, Omnes enim, qui mathematicas demonstrationes affectabant, in ordine tantum Mathematicorum substitisse, Aphorismo II. dissertationis prioris obseruamus. Ne urgeam (6.) rationis uires nimium quantum efferri, si res sacrae euidenter et mathematice demonstrari possent: Sic enim non opus esset, ut ob authoritatem diuinam crederentur, cum euidenter sciri possent. Sed sufficient haec pro instituti ratione, quae ut Benevolus Lector in meliorem partem interpretetur, est, quod etiam atque etiam rogamus.

99 A 6910




56.

VD 77

Petro

III. 68.



14

DE
**METHODO
DEMONSTRANDI
MATHEMATICA,**
AD RES THEOLOGICAS NON APPLICANDA
DISSERTATIO POSTERIOR,
QVAM,
DIVINIS AVSPICIIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO ATQVE ELECTORAT.
SAXON. HEREDE, ETC. ETC.
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
INDVLTV AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
PRAESIDE
**M. FRIDERICO IACOBO
FIRNHABERO,**
VVERTHEMIO-FRANCO,
DIE XI. DECEMBER. MDCCXV,
PVBLICE DEFENDET
RESPONDENS
GEORG CHRISTOPH. SEYBOLD,
OERINGA-FRANCVS, TH. ET PHIL. STVD.
VVITEMBERGAE, LITERIS SAMVELIS KREVSIGII.